


DEI MEMOR GRATUS AMICIS
Sir Edmund Antrobus


CAROLVS CARD·REZZONICVS CLEM·XIII·
FRATRIS FILIVS
Natus Venetiis An.1724. creatus Presb.Card.An.1758.
Qui florenti ætate Patrui vestigia sectatus
Morum gravitate, exemplo, et singulari studio
Virtutes, bonasque artes fovens
Populorum auget fœlicitatem.

PICTURÆ
DOMINICI ZAMPIERII
VULGO
DOMENICHINO
QUÆ EXTANT IN SACELLO
SACRÆ ÆDI
CRYPTOFERRATENSI
ADJUNCTO
NUNC PRIMUM
TABULIS ÆNEIS INCISÆ.



ROMÆ MDCCLXII.
EX CHALCOGRAPHIA R. C. A.

SUPERIORUM FACULTATE.

EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO PRINCIPI

CAROLO REZZONICO

S. R. E. CARDINALI

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

CLEMENTIS XIII.

FRATRIS FILIO

XAVERIUS CANALE

PONTIFICII ÆRARII PRÆFECTUS.



Halcographica res CARDINALIS AMPLISSIME cum penes Apoſtolicam Cameram jam pridem eſſe cœperit, operæ pretium me facturum exiſtimavi, ſi celeberrimas illas Dominici Zampierii, vulgo Domenichino, Tabulas, quæ ſumma Eruditorum omnium admiratione in Sacello SS. Nili, & Bartholomæi adjun-

adjuncto antiquiſſimæ Cryptoferratenſi Ædi viſuntur, non ſolum, cum æri incidi jam cœpiſſent, perficiendas, ſed etiam in publicam lucem edendas curarem. Et quia de ſummo ipſarum artificio, & elegantia verba facere ſupervacaneum prorſus eſſet, cum & clariſsimi Pictoris nomen, & hujuſce præſertim operis celebritas fama jam ubique diffuſa ſit, atque vulgata, ad hoc animum converti, ut nihil eorum prætermitterem, quæ iis declarandis, atque illuſtrandis opportuna judicarem. Illud vero, quod maximo eſſet huic operi & ornamento, & decori, ante omnia Cardinalis Ampliſsime conſequi ſtudui, ut ſcilicet ipſi honorificentiſsimum nomen adponeretur tuum; cum præcipuè intellexerim id non debere nec omitti a me, nec a Te Princeps Eminentiſsime recuſari; quod enim tui juris eſt, cum Cryptoferratenſe Monaſterium Tibi ſit perpetuò commendatum, id a me Tibi reddi naturæ lex, ratioque ipſa præſcribit. Ea igitur benignitate, qua opus exceperis, & quæ ſumma in Te revera eſt, eum quoque, cujus ſtudio curaque perfectum eſt, complecti non dedigneris, cum nihil ipſi antiquius ſit, quam in ea, quæ ſibi demandata eſt ſingulari Principis Optimi beneficio, Apoſtolici Ærarii procuratione omnium commodis, & Patrui tui gloriæ velificari, quem Tibi, totique Chriſtiano Orbi ſoſpitem diu ſervet bonorum omnium auctor, ac diſtributor Deus.







ONASTERIUM, quod a Crypta jam inibi extante Cryptæ Ferratæ dicitur, undecimum inter, & duodecimum ab Urbe lapidem non longe a via Latina, qua hæc ad occasum vergit, amæno, & irriguo loco in Agro Tusculano situm est. Communis Antiquariorum fert opinio, eo loci jam Syllæ fuisse Villam, quam postea a se emptam Cicero Academiæ nomine insignivit. Longe major tamen fuit loci celebritas ab adventu Sanctorum Nili, & Bartholomæi Rossanensium Civium, quam a Romani Consulis, sive Dictatoris nomine, & dignitate.

Anno quarto supra millesimum vulgaris Æræ Nilus magnæ sanctitatis Vir e Serperis Monasterio, quod ipse non longe a Cajeta extruxerat, in Agrum Tusculanum concessit una cum Bartholomæo, qui se illi comitem adjunxerat. In Monasterio S. Agathæ, quod ad radices Tusculi jacebat, & tribus ferme milliariis distabat a loco, qui postea Crypta Ferrata vocari cœpit, primum consedit novum cogitans ædificare Monasterium, in quo & ipse requiesceret, & ipsius congregarentur Discipuli, qui in aliis Cœnobiis antea a se fundatis degebant. Auctor vitæ ejusdem S. Nili, qui a Baronio ipsemet Bartholomæus fuisse creditur, Nilum in Tusculanum pervenisse narrat *Deo duce illum dirigente ad locum sepulturæ suæ destinatum eum in modum, quem Deo revelante cognoverat*: Sub initium superioris Sæculi Dominicus Zampierius in Sacello SS. Nili, & Bartholomæi munificentissima Odoardi Farnesii Cardinalis Commendatarii pietate restituto S. Nili adventum mira arte in Tabula I. repræsentavit, ut describitur in veteribus quibusdam monumentis circa ejusdem Sæculi medietatem a Romano Vassallo Monasterii ipsius Abbate ante incendium Tabularii exscriptis: *Origo istius Sanctissimi loci ab ipsa advocata, & mediatrice nostra Virgine gloriosa per infrascriptam revelationem fuit*; *videlicet cum duo Sanctissimi Viri nomine BB. Nilus, & Bartholomæus, Calabri de Patria, quorum in hac sacrosanctissima Basilica sepulta sunt corpora, venissent ad Beatorum Apostolorum limina visitandum, dum in quadam spelunca, seu Crypta hic prope Monasterium habitassent*,

taſſent, in eadem nocte Regina Cæli Virgo glorioſiſſima eiſdem apparuit dicens: Filii benedicti hic locus eſt veſtræ habitationis, & bonæ veſtræ operationis, ergaſtuli ſanctæ ſpei, quoniam oportet vos laborare ad ædificationem ſanctiſſimæ Domus meæ in hoc loco, & ecce dabo vobis ſignum videlicet Pomum aureum, quod pro primo lapide fundamenti ponere debetis. Et licet antiquus Scriptor Vitæ S. Nili Romam hoc ultimo itinere ſuo veniſſe non commemoret, ait enim: *Prope illud* (ſcilicet Tuſculum) *ſitum erat Monaſterium paucorum Fratrum nationis noſtræ Græcorum nomine S. Agathæ, in quod Sanctiſſimus ſenex divertit, hæc inquiens: Requies mea in ſæculum ſæculi*; *nec inde potuit a quoquam divelli, licet ii, quibuſcum verſabatur, Fratres moleſti eſſent, & Optimates Romani accedentes rogarent, ut Romam ſe conferret ſaltem propter Principes Apoſtolorum*; ſatis tamen credibile eſt Sanctos Viros e Serperi profectos ad evitandam hominum frequentiam, & laudes (cum præcipue Nili ſanctitas vulgatiſſima in Urbe eſſet) prius Romam ſeſe ignotos contuliſſe, ut Apoſtolorum limina venerarentur, atque inde ad Monaſterium S. Agathæ iter direxiſſe, & Nilum in Cryptam, ut dicitur in ſuperiori narratione, ſecedentem, ut oraret, in extaſim raptum cœleſti fuiſſe viſione confortatum.

Ubi Gregorius Tuſculi Dominus Nilum in Monaſterio S. Agathæ manere cognovit: *Deſcendit*, ut ſcribit Auctor vitæ, *& proſtratus ad Sancti Viri pedes ita dicebat: ego quidem Serve Dei Altiſſimi non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum: & unde hoc, ut Sanctus Domini mei veniat ad me? Sed quando Magiſtri, ac Domini tui exemplo me peccatorem juſtis prætuliſti, ecce Domus mea, totumque cum ſuo agro oppidum ante te eſt. Quidquid de iis libuerit, jubeto. Reſpondit Beatus Pater: Benedicat Dominus, & Tibi, & tuis, & domui tuæ, & oppido tuo. Particulam in ditione tua nobis concede, ut quietem in ea nacti Deum pro peccatis noſtris propitium reddamus, & pro ſalute tua preces fundamus. Gregorius autem magna alacritate implebat, quod juſſum eſt.*

Jacta ſunt igitur fundamenta Monaſterii, & parvæ Ædis, quæ eſt ipſummet Sacellum, quod modo SS. Nili, & Bartholomæi dicitur. Anno inſequenti ſexto Kalendas Octobris nondum Monachorum Ædibus abſolutis in S. Agathæ Monaſterio Nilus ad Superos evolavit, ejuſque cadaver tranſlatum fuit ex hoc ad aliud Monaſterium, quod ipſo Auctore fuerat inchoatum, ut mox uberius dicemus.

Quod duabus ſequentibus Tabulis exprimitur, quæ habentur in vita S. Nili, aperte declarant, & nos ipſa verba habita temporum ratione exſcribemus. Prima itaque occurrit Tabula II. *Cum Romam aliquando profectus eſſet orandi gratia, & perquirendorum quorumdam librorum, vidit in Templo Petri Apoſtoli, dum illud ingrederetur mulierem Alemannam corporis proceritate præſtantem. Hujus effigiem animo impreſſam oſtendebant maligni Spiritus Viro Sancto, ſive is pſalleret, ſive legeret, aut aliud quidvis ageret.*

Hac

III.

Hac pugna invalescente cum nihil prorsus excogitare posset, quo hostes repelleret, confugit ad Deum suarum virium imbecillitatem illi exponens. Prosternit ergo se ante sacrum Altare contrito, & humili corde, & Salvatori ait: Tu scis Domine, quod infirmus sim, miserere mei, & subleva me impurorum Dæmonum bello oppressum; ego enim de mea vita jam desperavi. Hæc ubi dixisset humi jacens, levique somno correptus, videt ante se stantem pretiosam Crucem, & pendentem ex ea vivum Dominum nostrum, & velum pendens interpositum candidum, & tenuissimum. Tum ipse magno cum timore clamans: Miserere mei, inquit, Domine, & benedic famulo tuo. Tunc Salvator excussa e clavo dextera manu ter facto signo Crucis benedixit illi, & visio illa divina finem habuit, simulque pugna illa cessavit. Ac quod præstare non poterant multa jejunia, sitisque nimia, & vigilia, præstitit humilitas, & propriæ infirmitatis agnitio. Ex verbis Historici restitue, quod Pictor artis gratia paulisper immutavit, prostratum scilicet historia refert, genibus flexum imago Nilum exhibet.

Sequitur Tabula III. *Cum admirandus Vir totus esset cum Fratribus in oratione, sermonisque ministerio, Dux quidam exercitus venit ad eum Polyeuctus nomine e regione Mesubiani Calabriæ secum ducens Filium suum nequissimo dæmone oppressum. Procidens igitur ad pedes B. Patris rogabat, ut misericordia flecteretur, suoque Filio opem ferret depulso maligno spiritu. Ille autem germanus plane humilitatis Christum imitantis Filius ipsi respondit: Nunquam, mihi crede, rogavi Dominum, ut meæ tenuitati donaret curationum gratiam, aut spirituum malignorum depulsionem: Utinam impetrare possem a Deo multorum meorum veniam peccatorum, & liberari a pravis cogitationibus, quæ mihi assiduo molestæ sunt. Ipse tu magis pro me ad Deum preces effundito, Frater, si forte liberari queam a multis circumobsidentibus me Dæmonibus; nam tuus Filius unum habet Dæmonium, idque non sua sponte, fortasse vero ad salutem animæ, sive ob præteritorum criminum expiationem, sive ut futura præpediantur. Ego vero ex segnitie, & socordia mea quotidie subiicior innumeris Dæmonum copiis in perditionem Animæ meæ. His dictis paulum se subduxit, & per dies aliquot latuit veritus, ne si oppressus a Dæmone liberaretur, fama per totam emanaret regionem, & sibi non permitteretur in loco illo quiete vivere. At Polyeuctus fide, & spe cor suum muniens non abibat e Monasterio, sed jejunio se affligebat, & cum lachrymis dicebat: non recedam hinc, donec Filius meus curetur. Perspecta Beatus Vir præclara ejus fide, & patientia misertus est ipsius, & Filii; Reversusque in Monasterium ipse rem graviter ferens ajebat: quid huic homini faciam, ignoro: nam & sanato, & non sanato ejus Filio utrinque nobis vexatio imminet. Cæterum nullo modo passus vel intueri oppressum a Dæmone, vocatum sacerdotali ordine fungentem jubet ire in Oratorium, & fusis super ægrotum precibus ungere illum oleo lampadis, & dimittere; quod ubi factum est, statim Juvenis sanitati restitutus est, egresso instar fumi de naribus ejus Dæmone. Quod Pater*

ter ejus cum vidiſſet, gaudio, atque admiratione ſimul affectus Filium prehendit, unaque cum illo ad Patris genua procidit gratias Dèo agens, & ipſi, qui ſolo juſſu malignum ſpiritum e Filio depuliſſet. At B. Pater vehementi ſermone uſus præcepit illi, ne cui rem diceret: Deus enim, inquit, & non ego tuum curavit Filium, & benedicens dimiſit illos in domum in pace gratias Deo agentes. Corrigendus hic eſt Joannes Bellorius, qui in vita Dominici Zampierii nimium a veritate aberrat, nam Monachum lampadi manum admoventem refert ipſum eſſe B. Nilum, & eum, qui preces Deo fundit, eſſe putat B. Bartholomæum ipſius Nili diſcipulum tunc temporis nondum natum. Ut enim ex vita ipſius conſtat, vix annum quintum ſupra vigeſimum excedebat, cum Cryptoferratenſis Monaſterii fuit Abbas electus, cui Monaſterio præfuit non modo poſt mortem S. Nili, ſed & Pauli, & Cyrilli ipſius in Cœnobii regimine Succeſſorum. Verum cum Energumenus liberatus fuerit ante quam in Valle-Lucii Monaſterium Nilus concederet, in quo cum annos quindecim moratum fuiſſe, alioſque decem duxiſſe in Monaſterio Serperis Auctor ipſius vitæ teſtis ſit, aperte evincitur nondum Bartholomæum tunc temporis natum.

Ut id quod in Tabula IV. exprimitur, clarius innoteſcat, videtur paulo altius repetenda narratio. Nilus itaque anno, ut videtur Baronio, nongenteſimo nonageſimo ſexto Romam venit Gregorium V. Pontificem Maximum, & Othonem III. Imperatorem rogaturus pro ſalute Philagathi Archiepiſcopi, *qui Antipapa Romanam Sedem invaſerat ſub nomine Joannis XVI.*, eodem Baronio teſte. *Imperator autem cum Patriarcha audito ejus adventu prodiere obviam, & prehenſa hinc inde manu ejus adduxerunt in Patriarchium medium ſedere jubentes, illi vero ad dexteram, & ſiniſtram manus ejus deoſculabantur. At Vir Sanctus licet ad hæc nimium affligeretur, & gemeret, omnia tamen ſufferebat, ſi quo pacto poſſet obtinere, quod petebat. Tum petit ſibi dari Philagathum, ut ſecum pœnitentiam ageret. Imperator viſus eſt annuere, ſi Nilus non dedignaretur accipere Monaſterium in Urbe. Annuit Vir Sanctus, & ſeceſſit in Monaſterium S. Anaſtaſii, quod Græcanicæ genti ſemper addictum fuerat. At ubi reſcivit aliter de Philagatho actum fuiſſe, ac ipſe ſpem animo conceperat, ita vehementer indoluit, ut miſſo ab Imperatore Archiepiſcopo, qui ipſum leniret, paucis, gravibuſque verbis primo reſponderit, tum ipſo ſermonem producente dormitare ſimulaverit, ac tandem ubi Archiepiſcopus diſceſſit, ipſe una cum ſociis in Monaſterium Serperis prope Cajetam redierit. At Imperator pœnitentiæ cauſa ab Urbe ad Garganum pedibus iter fecit veneraturus Michaelem Archangelum. In reditu B. Viri hoſpitium inviſit. Cum igitur ex editiori loco Monaſterium conſpexiſſet, & Fratrum tuguria circa Oratorium fixa: Ecce, inquit, Tabernacula Iſrael in Deſerto: Ecce Regni Cælorum Cives: hi non ut habitatores hic manent. At Sanctus Vir juſſit thuris ſuffitum preparari, atque obviam illi profectus eſt cum univerſis Fratribus, & cum humilitate, & reverentia venerabundus ſalutavit. At Imperator*

perator ſuppoſitâ manu, qua ſuſtineretur ſenex, una cum illo Oratorium ingreſſus eſt, & peracta oratione Imperator Viro Sancto ait: Dominus noſter Jeſus Chriſtus, quamdiù fuit cum Apoſtolis, mandabat eis, (a) *ne peram, ne virgam, neque duas tunicas poſſiderent. Cum vero ad paſſionem ibat, rurſus ajebat* (b): *ſed nunc, qui habet ſacculum, tollat & peram. Ergo cum jam ſenueris, & vicina tibi ſit migratio ad Regnum Cælorum, ſuſcipe curam tuorum Filiorum, ne forte in anguſtias redacti, quando ipſe non aderis, ob loci difficultatem recedentes diſpergantur. Nos dabimus Monaſterium & proventus, ubicumque tibi collibuerit per totam ditionem noſtram. Ad hæc Vir Sanctus: audivi dicentem David*(c): *Salvum me fac Domine, quoniam defecit Sanctus, quoniam diminutæ ſunt veritates a filiis hominum. Præterea non eſt, qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum. Quod ſi Fratres, qui mecum ſunt, omnino Monachi ſunt, & mandata Chriſti pro viribus curaverint, ipſe, cui de illis cura fuit uſque adhuc me ſuperſtite, multo magis & ſine me cura eos ſua complectetur.* (d) *Cui non in potentia potentis, nec in tibiis Viri beneplacitum eſt, ſed in eis, qui ſperant ſuper miſericordia ejus. Hæc, & multa alia cum eſſent collocuti, in viam ſe Imperator dedit, & converſus iterum ad ſenem dixit: pete a me perinde ac a filio tuo, quidquid volueris, & præſtabo cum omni alacritate. Et Vir Sanctus extenſa manu ad pectus Imperatoris dixit: nihil aliud rogo ab Imperio tuo, niſi animæ tuæ ſalutem; nam licet Imperator ſis, tamen ut mortalis homo morieris, & in judicium deduceris, & eorum rationem reddes, quæ ſive bona, ſive mala egeris. Quæ Imperator audiens lachrymarum imbrem fundebat ex oculis. Deinde corona demiſſa in manus B. Viri, & benedictione percepta cum toto ſuo comitatu commiſit ſe viæ.* Baronius hoc Othonis iter ex præcepto S. Romualdi ſuſceptum retulit ad annum milleſimum.

In mirabili hac Tabula ſunt, qui putent in Nili imagine Philippum Moretum tunc temporis Tyronum Magiſtrum fuiſſe delineatum, & reliquos Monachos eos eſſe, qui per eam ætatem in eodem Monaſterio vivebant. In Viri ex equo deſcendentis effigie, referunt Joannem Baptiſtam Cardinalis Hieronymi Agucchii Fratrem a Zampierio coloribus expreſſum, ut ob accepta ab eo beneficia perenne grati animi monumentum extaret, addentes & Tuſculanam Puellam, quam ipſe Zampierius uxorem ducere cupiebat, virili habitu, licet muliebri vultu fuiſſe etiam in hac Tabula depictam.

Pompam, qua elatum fuit Corpus Beati Nili, ut in novo monumento locaretur, exhibet Tabula V., & fuſius narrat ejus vitæ Scriptor. *Totam quidem illam noctem (in qua ſcilicet Nilus obdormierat in Domino) egimus in Pſalmis, & Hymnis funebribus. Mane vero deferentes feretrum cum cereis, & thure, & pſalmodia portavimus Cadaver in locum, in quo Fratres Beatum Virum præſtolabantur.* Fratres hi erant Monachi, qui ubi reſciverunt S. Nilum in Cœnobio S. Agathæ conſtitiſſe, Serperis Monaſterio relicto, in Tuſculanum agrum venerunt, quos ad ſe accedere vetuit Sanctus Senex,

(a) *Luc.* 10. 4. *Math.* 10. 10. (b) *Luc.* 22. 36. (c) *Pſal.* 11. 1. (d) *Pſal.* 146. 10.

& in loco, ubi novum construebatur domicilium, manere jussit. *Ut ventum est in conspectum eorum, & audivere psalmodiam, cuncti prodiere nobis obviam Senes, & Juvenes, parvi, & magni vi lachrymarum omnes perfusi, & miserrime lugentes. Ergo posito feretro, & interrupto cantu omnes communem deflebamus jacturam, orbitatem, Patrisque amissionem. Nec aliud videre tunc erat, quam quod de Jacob scriptum est, quando profecti sunt filii ejus ad aream Atad, quæ sita est trans Jordanem, & planctu magno, ac vehementi celebrarunt exequias, nam parvula & nos habebat area; regionis autem habitatores, quotquot aderant cum Principe Gregorio, non modo spectatores erant, sed prosequentes etiam funus luctum suum cum nostro miscebant; nec prius abscessere, quam deportatum fuit a nobis Cadaver, depositumque constituto in loco, sicut ipse Sanctissimus Pater præscripserat. Permansit autem ad tumulum universa Fraternitas cum memorato Hegumeno* (scilicet Paulo, cui regimen multos ante dies Nilus commiserat) *suam operam ponens, & in patientia laborans, eo quod locus esset minus instructus ad comparandum panem quotidianum, qui & animæ congruens, & corpori satis esset. Complures etiam e filiis S. Viri precibus ejus adjuvantibus convenere, & circa sepulchrum ejus conditi requiescunt: Viri plane desideriorum, spiritus, & gratiæ, virtutisque pleni.*

Hæc sunt, quæ ex gestis S. Nili miro artificio Zampierius depinxit, jam ad illa S. Bartholomæi descendamus. Hic quartus Cœnobii Cryptoferratensis Abbas electus ampliorem Ædem ædificare cœpit. Quo anno id factum sit, non constat: Scimus tamen vigesimo quinto supra millesimum eam a Joanne XIX. Pontifice Maximo XIV. Kalendas Januarii, in quem diem Dominica tertia Adventus incidit, solemni ritu fuisse dedicatam. Supra Templi januam visitur imago ipsius Pontificis inter duas Iconas Christi nempe, & Deiparæ Virginis musivo opere elaboratas aspergillum manu tenens ad designandam ipsius Ædis dedicationem. Dum hæc construeretur Ædes, prodigium accidit, quod in Tabula VI. aspicitur, & in ipsius vita legitur: *Cum novam Sion, ipsam scilicet Dei Genitricis invocatione Sacram Ecclesiam ædificaret Bartholomæus, illam altis substentabat columnis, quas in vetustis Ecclesiarum ruinis, quæ circum erant, invenerat. At cum una ex columnis ex eminentiori loco esset demittenda, nec tamen manibus (præceps enim suberat locus) Monachus quidam sub ipsum delapsum jacebat; validis sane clamoribus ab Operariis admonebatur, ut mortem effugeret. Statim vero ac Monachus audivit, placide dixit: Sta o columna: & statim inanimis illa acsi animata esset, obedivit, & restitit: neque amplius, nisi præsente S. Bartholomæo, moveri potuit:* Narrationi non satis convenit, quod Pictoris ingenium in hac Tabula repræsentavit. Negari etenim Pictoribus vix potest fingendi facultas. Unum hoc certum est, quod Divum Bartholomæum exhibet Monachi illius effigies, qui Ichnographiam novi Templi attente intuetur.

Ostendit alterum prodigium Tabula VII., de quo sic in vita: *Æstas erat, & in area manipuli terebantur, & cum jam prope esset, ut frumentum venti-*

ventilaretur, ecce coactis nubibus vehementissimus exoritur turbo, horrendaque exaudiuntur tonitrua, aereque obtenebrato cælum obtegitur. Plures sane timuerunt, ne hæc aut grandinem, aut nimbum minarentur ingentem. Porro Agricolæ ita animo exciderunt, ut etiam aliquis jam blasphemaret. At B. Bartholomæus, qui aderat, illos objurgabat, ac ne obloquerentur, hortabatur, quinimo gratias Deo agerent, & comessum venirent. Ipse vero flexis genibus Deum exorabat. Itaque nimbus ille cum impetu decidens omnem regionem inundavit; in ipsa vero area solummodo ne una quidem gutta inventa fuit, quod omnes vehementer mirabantur. Ea de causa magnus ille Vir omnes, ut Deo gloriam redderent, animavit.

In descriptione superiorum duarum Tabularum apertissime etiam deceptus est Bellorius, dum S. Nilum illum esse ait, qui & ruentem columnam sistit, & precibus nimbum ab area repellit, quod sane me impulit, ut ipsa Scriptorum Vitæ BB. Nili, & Bartholomæi verba a me adhibenda putaverim, ne forte quis ex Bellorianis narrationibus errandi ansam arriperet. Et hæc quidem de Tabulis ad gesta SS. Nili, & Bartholomæi spectantia, nunc vero de aliis, quæ ad ipsius Sacelli ornatum Zampierius addidit, breviter dicendum.

Supra geminas portas, quarum altera aditum ad Sacellum præbet, altera e regione illius est, depictæ sunt Icones S. Nataliæ Tabula VIII., & S. Adriani Tabula IX. in quorum honorem B. Nilus Ædiculam Deo primum dicaverat.

In pariete a cornu Epistolæ supra depictam Coronidem, qua totum circumdatur Sacellum, quatuor patent fenestræ, in quarum lateribus septem conspiciuntur Virtutes, &, quæ Virtutes consequitur, Fama. Sunt in prima fenestra prope Presbyterium Fides, & Spes Tabula X. In secunda Charitas, & Prudentia Tabula XI., in tertia Justitia, & Fortitudo Tabula XII. in quarta Temperantia, & Fama Tabula XIII. Interjecta fenestris spatia tenent tres Græci Patres, Gregorius videlicet Nazianzenus Tabula XIV., Athanasius Tabula XV., & Joannes Damascenus Tabula XVI. In opposito pariete Gregorio respondet Basilius Tabula XVII., Athanasio Joannes Chrisostomus Tabula XVIII., & Damasceno Cyrillus Tabula XIX. Græca verba libro, quem tenet Athanasius, inscripta latine sic sonat: *Quicumque vult salvus esse ante omnia opus est, ut teneat Catholicam Fidem*. Quæ sunt in volumine Divi Basilii desumpta ex oratione, quæ in ejusdem Liturgia legitur, latine significant: *Nemo eorum, qui carnalibus concupiscentiis, & voluptatibus sunt illigati, dignus est, qui accedat &c.* Quæ in volumine Chrisostomi, sic explicantur: *Hære Spiritualibus, contemne Sæcularia*: & in libro Cyrilli est tantum titulus *de Incarnatione* Græcis litteris scriptus.

In extremo ipsius Sacelli pariete, qui est contra Altare supra dictam Coronidem, depinxit Zampierius Gregorium Nyssenum Tabula XX., & Nicolaum Myrensem Episcopum Tabula XXI.: ambos, ut Græci solent, dextera

tera tenentes Paſtoralem Baculum, quem tamen juxta Latinorum morem Pictor effinxit.

Ad ſuperiora latera magni arcus, qui eſt inter Presbyterium, & navem, hinc Angelus, illinc delineata eſt Deipara ab eo ſalutata Tabula XXII.

Altare ſitum eſt inter imagines S. Euſtatii, quæ eſt in cornu Evangelii, & S. Odoardi in cornu Epiſtolæ Tabula XXIII.


In quatuor Presbyterii angulis inter arcus, quibus ſuperimponitur tholus, quatuor conſpiciuntur Evangeliſtæ; prope ipſum altare S. Mathæus, & S. Joannes; e regione S. Lucas, & S. Marcus Tabula XXIV.

Tabula XXV. quatuor exhibet ſub alatorum puerorum forma Angelos cum candelabris locatos ſub arcubus ad dexteram, & ad ſiniſtram ingredientium; duos ad latera Tabulæ V., in qua funus S. Nili exprimitur, duos ad latera feneſtræ, quæ huic tabulæ oppoſita eſt.

Suprà Altare effinxit Pictor duo loculamenta, & duo in oppoſito pariete Tabula XXVI., in quibus alios quatuor depinxit alatos Pueros; ſubſtinet primus thurribulum, ſecundus librum, tertius vas aquæ luſtralis, quartus acerram.

In ſuprema tholi ſummitate videtur Antiquus dierum in ſolio ſedens Tabula XXVII., & in arcuato fornice præter ellypticæ figuræ ſpatia imagines trium Sanctarum Virginum tenent: in eo, quod eſt e regione ipſius feneſtræ, S. Franciſca Romana Tabula eadem, & hinc, atque illinc S. Cecilia, & S. Agnes Tabula XXVIII. conſpiciuntur.

Abſolvi brevem narrationem eorum, quæ in Sacello SS. Nili, & Bartholomæi depinxit Zampierius. Ea in hoc operę noſtra mens fuit, atque conſilium, ut bonarum artium cultores, quibus datum non eſt noſtras regiones inviſere, atque hæc artis miracula propius intueri (plerique enim ex advenis Romam accedentibus Cryptoferratenſe Monaſterium adeunt) poſſint ſaltem in hoc volumine eximiam præſtantiſſimi Pictoris peritiam mirari. Accedit & alia, quæ ſane potior eſt ratio, ut nempe, quantum fieri poteſt, ipſæ Picturæ ab interitu vindicentur, cum, & tectorii natura, & temporum injuriæ coloribus ſenſim evaneſcentibus eas longo ævo manſuras ſperare non permittant.





Dom Zampieri pinx

N. Vanni del

Bm̃a Virgo S.S. Nilum, et B



...tholomæum pomo aureo donat.

F. Bartolozzi sc.



S. Nilus a D. N. I. C. Crucifixo ipsi apparente benedicitur, et ab impuris tentationibus prorsus liberatur

Dom. Zampieri inv. — N. Vanni del. — F. Bartolozzi sc.



Sacerdos jussu S. Nili vexatum a Dœmone Filium Polyeucti a

Dom Zampieri pinx · N. Vanni del.

III.



...is exercitus oleo sacræ lampadis inungit, et statim liberatur.

P. Ant. Pazzi sc.



Dominicus Zampieri pinx *Nicolaus Vanni del.*

S. Nilus Otho




...em III. ipsum invisentem excipit.

Antonius Capellan, sculp.



Corpus S. Nili e monasterio S. Agathæ ad Eccles

Dom. Zampieri pinx. N. Vanni




n Cœnobii Cryptæ ferratæ solemni funere ducitur.

P. Ant Pazzi sc.



Dominicus Zampieri pinx. N. Vanni del.

S. Bartholomæus Ecclesiam B.M.V. edificari jube



et columna decidens Monachiejus Discipuli jussu sistitur.

Petrus Antonius Fazzi sculp



S. Bartholomæus pluviam undique decidentem ab area Monasterii precibus arcet.

Dmo Zampieri pinx. N Vanni del. P Ant. Pazzi sc.



Dom. Zampieri pinx. N. Vanni del. *S. Natalia*

IX



Dom. Zampieri pinx. *N. Vanni del.* *S. Adrianus* *Carol. Gregori sculp.*

X



Dom Zampieri pinx
Fides
N Vanni del
P Ant Pazzi sc



Dom Zampieri pinx
Spes
N Vanni del.
P Ant Pazzi sc



Dom. Zampieri pinx.

Charitas

N. Vanni del.

P. Ant. Pazzi sc.



Dom. Zampieri pinx.

Prudentia

N. Vanni del.

P. Ant. Pazzi sc.



Dom Zampieri pinx

Iustitia

N Vanni del — P Ant Pazzi s



Dom Zampieri pinx

Fortitudo

N Vanni del — P Ant Pazzi s



Dom. Zampieri pinx.

Temperantia

N. Vanni del.   P. Ant. Vanni ...



Dom. Zampieri pinx.

Fama

Nad. Vanni del.   P. Ant. n Vanni ...



S. Gregorius Nazianzenus



S. Athanasius

XVI.




Dom. Zampieri pinx

S. Iō Damascenus

N. Vanni del

F. Bartolozzi sc



Dom. Zampieri pinx.

Magnus Basilius

N. Vanni del. F. Bartolozzi sc.



D. Zampieri pinx

S. Iohannes Chrysostomus

N. Vanni del. F. Bartolozzi sc.

XIX



Dom. Zampieri pinx.

N. Vanni del.

S. Cyrillus

F. Bartolozzi sc.

XX



S. Gregorius Nyssenus



Dom. Zampieri pinx. N. Vanni del. — *S. Nicolaus* — F. Bartolozzi sc.



Sm̃a Virgo ab Angelo salutata

Dom Zampieri pinx *N Vanni del* *F Bartolozzi fc*




Gabriel Archangelus B.M.V. salutans

Dom Zampieri pinx. N Vanni del. F Bartolozzi sc



S. Eustathius

Dom Zampieri pinx   N Vanni del   Ant Capellan sc



S. Odoardus.

Dom Zampieri pinx   N Vanni del   Ant Capellan sc



Dom. Zampieri pinx N. Vanni del S. Iohannes



S. Marcus

Dom. Zampieri pinx N. Vanni del



Dom Zampieri pinx *N Vanni del.* S. Matthæus *Carol Gregory sculp*



Dom Zampieri pinx *N Vanni del* S. Lucas *Carol Gregori sc.*







Dom Zampieri pinx





Antiquus dierum sedit. Dan 7. 9

Dom Zampieri pinx — N Vanni del. — Carol Gregori f.



S. Francisca Romana

Dom Zampieri pinx — N Vanni del — Carol [illegible]



S. Cecilia

Dom. Zampieri pinx *N Vanni del* *P Ant Pazzi sc*



S. Agnes

Dom Zampieri pinx. *N Vanni del* *P Ant Pazzi sculp*

